66

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAEDAM
DE
CONTAGIONE, THEORIA ET CURATIONE DYSENTERIAE
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT,

JACOBUS O'BEIRNE,

COLLEGII REG. CHIRURG. IN HIBERNIA
LICENTIATUS,
SOCIET. REG. MED. EDINEN.
NECNON
MED. ET PHYSICO-CHIRURG. EBLANEN.
SOCIUS;
NUPER AD COPIAS TORMENTARIAS CHIRURGUS SECUNDUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1818.

RICARDO DEASE, M.D.

REG. ACAD. HIBERN. SOC.

ANATOMIAE, CHIRURGIAE, PHYSIOLOGIAE

IN COLLEGIO REGALI CHIRURGORUM IN HIBERNIA

PROFESSORI,

&c. &c. &c.

HASCE PAGINAS,

HAUD TANTUM HONORIS GRATIA,

QUO SEMPER COLET

ARTIS ANATOMICAE PERITISSIMUM,

CHIRURGUM SAGACISSIMUM,

ET

PHYSIOLOGUM SUBTILISSIMUM,

VERUM ETIAM

BENEFICIORUM, CONSILII BENEVOLI, ET

DOCTRINAE UTILISSIMAE

HAUD IMMEMOR,

VOVET

AMICUS EJUS OBSERVANTISSIMUS, GRATISSIMUS,

ET QUONDAM DISCIPULUS,

JACOBUS O'BEIRNE.

JOHANNI WEBB, Armigero,

REI MEDICAE AD COPIAS TORMENTARIAS

DIRECTORI GENERALI,

&c. &c. &c.

CUJUS

INGENIUM SOLERS, PERSPICAX JUDICIUM,

ET *AEQUITAS*

IN VARIIS EJUS MUNERIBUS EXPLENDIS

IMMOTA,

ARTI MEDICAE AUGENDAE TAM MAGNOPERE FAVENT;

HAEC OBSERVATA,

QUAE SUB EJUS AUSPICIIS MILITANTEM

EXPERIENTIA DOCUIT,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. D.

AUCTOR.

ANDREAE BLAKE, Armigero,

QUINTAE LEGIONIS PEDITUM BRITANNICARUM

CHIRURGO,

QUEM DOMESTICA QUAEQUE VIRTUS,

IN ARTE SUA PERITIA

ERUDITIO OMNIGENA,

AMICIS ET PROPINQUIS DILECTISSIMUM REDDUNT,

SPEM QUOQUE ET FIDUCIAM

OMNIBUS INJICIUNT EJUS CURAE COMMISSIS,

HAEC QUALIACUNQUE,

UNICUM TESTIMONIUM UTPOTE PUBLICUM

FIDELIS MEMORIAE, GRATIQUE ANIMI

OB PERMULTA BENEFICIA, ET AMICITIAM INDEFESSAM,

INSCRIBIT

AMICUS EJUS DEVINCTISSIMUS

ET CONDISCIPULUS,

JACOBUS O'BEIRNE.

.... Audi
Quo rem deducam. HORATII, *Satir.* 1.

Ces sortes de prejuges étant les premières impressions que nous ayons eprouvées, ils ne manquent pas de nous paraitre des principes incontestables.

CONDILLAC, *Essai sur l'origine des connoisances humaines:*

Men's qualifications and endowments, though of themselves but slender, and unequal to the work, yet, when properly and regularly used and applied, are capable of bringing such things before the judgment, and into practice, as lie extremely remote from the ordinary sense and action. BACON, *Aphorism* 3.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

CONTAGIONE, THEORIA ET CURATIONE

DYSENTERIAE.

Scientiae medicae imperfectio nullo in morbo clarius illustratur quam in Dysenteria; non enim magis mirabile quam verum est, quod, dum accuratam signorum causarumque descriptionem, diagnosin accurate discriminatam, dissectiones corporum plurimas et definitas, haec nacta est, argumenta practica et majoris momenti in historia medica dysenteriae non tan-

tum incerta remanent, sed singulari opinionum contradictione insigniuntur. Sic, dum hi contagiosam ejus naturam asserunt, illi omnino contrariam sentiunt. Experientiam videmus spasmum, quippe qui nunquam sibimet reconciliandus sit, respuere, atque invenimus, haud sine admiratione quadam, spectatissimos et clarissimos artis nostrae professores sententias diversissimas amplecti, etiam de parte gravissima consiliorum medendi. Anatomia morbida atque morbi indicia, quae raro similes difficultates, non luce certa, illustrent, atque adeo constanter ad sanam theoriam et medicinam rationalem perducunt, hic prorsus neglecta apparent, solitaque applicatione sua amissa, viribus succumbere potentioribus praejudiciorum, quae haud minus in origine remota, quam gratuito et sine causa aequa assumpta, videntur.

Tale igitur est argumentum quod contemplandum selegimus, tales difficultates quas elucidare conaturus sum.—Ut vitemus nihilominus ingratum munus ab alienis scriptis compilandi, utque major latitudo et facilitas investigationi propositae concedatur, dissertationis hu-

jus materiam contemplationi contagionis, theoriae et curationis dysenteriae cohiberi oportebit. Super plurimis de his, notiones et opiniones, mihimetipsi forsan omnino peculiares proferentur: attamen, cum mera commenta non sunt, sed factis nitantur et observationibus, et argumentis purissimo et certissimo fonte deductis, necnon felici et magna experientia inter bella quinquennii praeteracti per Hispaniam Galliamque confirmatis, fore confido, ut, quantumcunque impar harum opinionum defensioni, munerive, quod mihimet imperavi, rite explendo videar, hoc tamen ipsi gratuler, me hactenus saltem factis jam cognitis additamenta suppeditasse, quae tendant notiones falsas emendare, notamque vigoris et unitatis majoris imprimere curationi morbi, qui semper pestis fortium libertatis nostrae defensorum peculiaris extitit.

DE DYSENTERIAE CONTAGIONE.

HUJUS rei investigatio non ad curiositatem solam pertinet, sed medicorum animadversionem specialem desiderat, sequelasque aegro ipsi maxime momentosas involvit. A notione generali de natura dysenteriae contagiosa, paucae incisiones institutae sunt, etiam a diligenti et accurato MORGAGNO, qui fassus est, se ipsas in morbis putridis et contagiosis de industria evitasse(A.) Pro ratione quoque opportunitatis quae clarissimo JOHANNI PRINGLE sese obtulit, paucas cadaveris scrutationes vel fecisse vel jussisse apparet, atque hoc forsan explicari potest ab iisdem causis. Haud parum quidem singulare est, hanc partem anatomiae morbidae tam parum cultam, donec nuperrime, jacuisse, cum liberalia proposita et ordinationes edoctae illustris Equitis JACOBI MACGRIGOR in Peninsula, tam numerosas tamque accuratas dissectiones praestiterunt, ut omissiones et defectus alio-

rum amplissime suppleant. Consilio quoque contagium cohibendi, plerumque prudentius habebatur dysentericos adeo stricte seclusos tenere, ut his commoda multum minueret, atque valetudinarii directioni serio noceret; sed graviores sequelae ab hac doctrina enatae, hoc erat, quod notionem debilitatis (contagii plerumque famulae) huic morbo connecteret: ideo non tantum opiniones nostras tentans, sed medendi rationem multum officiens.

Dysenteriam CULLENUS definit non tantum esse "Pyrexiam contagiosam," sed dubitat etiam an aliae suppositae causae, veluti frigus et aliae, ad generationem illius necessariae sint: recens vero scriptor (B), in trutina auctoritatis veritatem hujus judicii expensurus, multa discriminatione atque prudentia, necnon inquisitione diligentissima, conspectum status opinionis medicae hac super re concinnavit, atque manifeste demonstravit partes de hoc argumento contrarias admodum viros aeque numerosos et spectabiles tutos esse; atque eandem discordiam, denique, hac de re ex toto provenire, quod ex his quidem dysenteriam non nisi typho

conjunctam vidissent; conjunctio quae sola contagiosa est. Ejus quidem argumentis et deductionibus plane subscribo; sed cum videatur argumenta ab auctoritate sola traxisse, et ea uti corroboratione, quam ipsius morbi ingenium adeo conspicue praestat, neglexisse, hic nobis proposuimus quaestionem more sequenti considerari: 1*mo*, Sensum distinctum, qui vocabulo "Contagio" tribui debet, definire: 2*do*, Leges cognitas quibus contagio paret summatim tradere: 3*tio*, Requirere an facta, seu auctoribus descripta, seu propria nostra observatione notata, his legibus comparata, opiniones vulgares de contagione sustinere, aut evertere tendant. Ut exacta vocabuli contagionis significatio, cui illud stricte cohibendum sit, definiatur, necesse omnino fit, cum reperimus non tantum HIPPOCRATEM, GALLENUM et CELSUM apud antiquos, sed etiam PRINGELIUM, LIND et CULLENUM apud recentes, hoc verbo usos esse ad morbos exprimendos qui *aëre* transmittuntur, haud minus quam eos *tactu* communicatos. Posterior quoque pars hujus ordinis mihi potestatem fecit, sine mora, veniendi ad conclusio-

nem accuratam de materia quae, aliter tractata, seipsum nimis longe produxisset.

Contagium definiatur modus iste morbum transmittendi ab uno in alium hominem contactu, seu *proximo* (immediato,) seu *communicato* (mediato,) omni aëris ambientis actione penitus exclusa. Contactus proximi exemplum datur in morbis contactu hominis affecti ipso propagatis. Ubi morbus vestimentis ejus, aliisve utensilibus communicatus est, exemplum (contagionis) a contactu communicato habemus.

Morbi contagiosi notas certas, fixas possident, quae ad hasce reduci possunt:

1*mo*, Morborum contagiosorum, ut syphilidis, psorae, aliorumque origo, plerumque post examinationem accuratam, ad locum, hominem, vel modum communicationis vestigari potest.

2*do*, Virus specificum contagiosum rectà vel obliquè admotum sive cuti, sive superficiei cuidam mucosae, ad morbos contagiosos gignendos necessarium est.

3*tio*, Virus contagiosum specificum semet certis ex supellectili rebus, ut vestibus, utensili-

bus, aliisque inanimis affigit, atque facultatem morbum suum generandi, per tempus variis rebus pendens, retinet.

4*to*, Morbi contagiosi raro epidemice grassantur. Progressus non celer est ; vestigari potest, et paulatim sese extendit ad distantiam, undique tantummodo eos afficiendo sibimet expositos.

5*to*, Quum in familia apparent, valetudinario, alioque situ ubi homines necessario et constanter eorum viribus patent, universi, seu certe maxima talium hominum pars, morbo afficiuntur.

6*to*, Semel infixi, semet perpetuant, nec aliter cohibendi sunt quam omnem contactum vel communicationem sanorum cum aegris circumcidendo.

Contra has leges lineamenta insequentia, quae dysenteria praestat, nunc opponi possint.

1*mo*, Dysenteria longe saepius adoritur ingentem numerum subito et epidemice ; progressus facile investigari nequit, nec origo contagionis plane detecta.

2*do*, Nihil militibus magis solitum est quam

vestes, etiam braccas aliorum qui dysenteria mortui sunt. Vestes militum dysentericorum illis fere eximuntur, cum valetudinario accipiuntur; sanati iterum easdem induant, quae saepe aut fumigari aut lavari, a rebus belli precariis, non potuerunt. Eodem modo stragula et toralia dysentericis superstrata, saepe ex necessitate aliis aegrotis usurpantur. Viri quoque, hoc morbo affecti, cum uxoribus vel comitibus dormiant. Sed in nullis istiusmodi exemplis unquam vidi dysenteriam communicatam, nisi ubi typho complicata esset.

3*tio*, In dysenteria quae Londini anno salutis 1808 saeviebat, nullum cognitum erat exemplum ubi secundum aliquem ex familia eadem morbus corripuisset, (c.); atque medici, nutrices et similes in Peninsula a Doctore Somers perpetuo effugisse dicuntur (d.)

4*to*, Separatio sanorum ab aegris parum sufficere ad dysenteriam cohibendam inventa est, quae contra saepe evanescere observatur cum causis occasionalibus, velut aëris mutationibus, impressionibus aliisque.

Hoc etiam a factis confirmatis et veris ratio-

cinio, nec non illo auctoritatis tam feliciter a Doctore Harty, prolato, omnino seposito, revocamus, tantum in memoriam arctissimum consensum qui cutem abdominisque viscera connectit, et manifestum et certum momentum quod aëris impressiones perinde ac aliae causae possident hunc consensum in actum evocandi, atque statim explicare valemus, cur dysenteria certum genus hominum, ut milites, nautae, pauperes laboriosos, et alios similes sibi eligeret, quibus non solum conditio quasi praeparata, natura munerum suorum inducta, sed major expositio causis remotis, coëuntes, generationi ejus favent. Tempestas anni qua apparet, sporadica, endemica et epidemica morbi forma, haud minus quam generalia ejus indicia, omnia explanationem simplicem aeque ac locupletem admittunt: nec necessarium est confugere ad operationem contagiosi principii, quod existerc etiam nulla confirmant facta, quodque manifeste non amplius teneri potest. Postremo, potus frigidus inter sudorem profusum sumptus; usus cibi seu putridi seu acridi; inspiratio effluviorum putrentium, ut in corporibus mortuis

explorandis; conditio aëris deterior, veluti in castris a cloacis, rebus animalibus et vegetabilibus putrescentibus, et in valetudinariis confertis, male ventilatis, immundis: sed prae omnibus, impulsus in corpore a frigore humoreque conjunctis facti, solae dysenteriae causae rationales apparent. Notandum vero est, hanc opinionem non ad morbum cum typho conjunctum extendi, cum experientia et facta evidentissime demonstrant, illud conjugium insigniter contagiosum vigere.

DE DYSENTERIAE THEORIA.

Quum invenimus Pringelium, Moseley, compluresque optimorum et experientissimorum de re practica scriptorum confitentes, nostram dysenteriae cognitionem nimis parcam esse, ut curae indicationes inde tradantur: Quum experientia bene cognita sit illi curationi adversari, quam nobis theoria Culleni de spasmo inculcaret: Quum demum impotentia notionum prae-

sentium ad innumera facta explicanda, magnaque, comparate loquendo, morbi mortalitas, atque infelicitas curationis hactenus laudatae et adhibitae considerantur, jure quidem concedatur licentia, doctrinam aliam, quaeque melius animo satisfaciat, structura, physiologia et signis morbidis partium affectarum corroboretur, atque defensionis nonnihil ab usu eorum qui morbum multum et viderunt et tractaverunt. Anatome morbida semper, sed praecipue recentibus annis, dysenteriae sedem indubiam inter phlegmasias dedit: attamen intestina laxiora nunquam non inflammata et fabricam perturbata, praecipuam morbi sedem constituere apparent, dum tenuia non tantum raro affici videntur, sed insuper, grandioribus densatis, contractis, exulceratis, aliquando gangraenosis, illa ut plurimum manent immutata, atque, quod ad aspectum pertinet, quasi nunquam affecta essent. Peculiaritas hujusmodi semet tam saepe offerens, parum animadversionis nihilominus attraxisse videtur, quoniam neque notata nec exposita fuit ullo quem ego noverim auctore. Singularem hujus rei casum contemplatus, et fortuito occa-

sionem nactus explorandi corpus alicujus casu ex alto loco interempti, dum dysenteria valde distincta, duobus ante diebus, laboraret, mihi apparet non tantum hoc phaenomenon, sed alia in eodem morbo observata modo sequenti elucidari posse. In exemplo jam dicto, homo (miles ex tormentariis) Almeidae Lusitania ex summis scalis in solum lapideum decidens, extinctus est. Ut diximus jam biduo ante dysenteria manifestissima affectus est: mihi corpus quarta post mortem hora rimanti, membrana mucosa tam tenuium intestinorum quam laxiorum adeo vehementer et aequabiliter inflammata adparuit, ut specimini anatomico minutissime vasis arte tumefactis instructo tantummodo similis esset. Portione membranae mucosae separata, tunica musculosa aeque rubere vasis, cum lympha coagulabili inter fibras suas effusa, inventa est: tunica peritonaea haud affecta. Ex hoc, et aliis licet rarioribus exemplis similium in parvis intestinis signorum narratis, optimo jure concludere possumus, totam intestinorum superficiem internam esse in primo stadio morbi aequaliter inflammatam; quodque membrana

mucosa, etiamsi prima sit affecta, raro non tunicam cito musculosam eodem plectit: indicia quoque ostendunt tunicam peritonaeam, nisi extremis exemplis, immunem substare. Aestimandum nunc manet, an ex inflammatione mucosae et musculosae tunicae tenuium ut laxiorum intestinorum, iidem eventus expectari possint; an demum hi non dissimili structura afficiantur. Quando motus intestinorum peristalticus minorum praeter naturam concitatur, effectus ejus contenta eorum colon versus propellere oportet: *intestinis tamen majoribus novus structurae ordo exoritur.* Contractio eorum longitudinalium et annularium fibrarum simultanea, in cellas et circulos contrahit, ideoque valvulas conniventes antrorsum promovet. *Talis dispositio et status partium manifeste sunt infaustissimi propulsui rerum magnis intestinis retentarum, neque non aggravari et augeri nequeunt, ab omni additamento materiae ab intestinis minoribus acceptae, quae quidem ipsa contentis, stimuloque exinde distentionis exonerantur, atque alias in conditione refectioni magnopere favente collocantur. Sic dum una pars canalis*

hujus quietudine fruitur, atque effusionibus a facie interna, aliisque conatis naturalibus pristinam sanam actionem recuperare potest; altera rigide contracta obviam proclivitatem habet semet perpetuare, ita ut affici solummodo remediis, qualia universum impulsum corpori communicant. Hic tamen objici potest huic sententiae, talem irritatam et inflammatam conditionem ampliorum intestinorum ex necesse minorum restitutionem impedire; quandoquidem illa inflammatio superficies mucosas adoriens, semet aequabiliter super eas diffundit, adeoque accurate nunquam terminata est. Haec tamen omni momento suo (specioso) privantur, cum reputatur omnes inflammationes progressus impeditos habere ab adhaesionibus factis; atque hae inter tunicam mucosam et musculosam existere reperiuntur.

Conspectus hujus morbi qualis hic est, peculiaritatem illam intestinis observatam plane resolvit; atque ostendit, paucissimas opportunitates quas necessario possidemus corporis in primis diebus dysenteriae incidendi, rationem reddere cur intestina minora tam raro in inflam-

matione reperiantur: probatum quoque est a specie coli ipsius, in cellas vel annulos praeter solitum angustos et adeo notabiles et constantes in dysenterico cadavere, contracti. Nausea et cibi aversatio, allevamentum post scybala, sanguinem aut mucum ejecta, forma scybalorum rotunda, cellis nempe coli figurata, frequentia sed irrita et cruciantia dejicere conamina, "tormina," tenesmus, omnia haec amplam recipiunt explicationem ab hac morbi consideratione.

Quod dolor ex abdomine presso minus sentiendus sit, et ei aliarum abdominis inflammationum inaequalis provenire puto a situ membranarum morbosarum, earum profunditate et pressura a contactu rei alicujus resistentis praeservantibus; necnon a colo non centrum abdominis occupante, quae pars fere premitur.

DE DYSENTERIAE CURATIONE.

Vix ullus morbus inventus est vel pervicacior vel lethalior, pauci minus conatibus corporis na-

turalibus sanationis debent, nulli utique quibus curatio hactenus praecepta magis irrationalis, imbecilla, fluctuans, quam in dysenteria videtur. A conspectu quem perbreviter supra delineavi, curae indicationes stabiliendae facile et naturaliter anticipantur. Consilium tamen neutiquam est, demonstrationem hujus in hypothesi sola reponere, quomodocunque a ratione et experientia generali sustineatur. Fundamento solidiore opus est. Ad hoc, omnibus objectis in unam theoriam respondere conandum est, dum facta et observata practica, qualia illustrare vel corroborare adversam rationem possint, ex aequo bonoque tradentur. Ut hoc efficiatur, necesse fit in considerationem uniuscujusque rationum curandi sigillatim inire.

Venaesectio.—Utcunque mirum aut incongruens videatur, venaesectio in dysenteria (morbo vere inflammatorio) non solum timide et caute adhibetur a pauculis qui advocare audent, sed longe majore medentium numero omnino proscribitur ut inutilis, necnon periculo plenissima. Quae sequuntur praecipuae, et forsan solae sunt rationes huic opinioni sustinendae prolatae; scilicet,

1*mo*, Inflammationem natura erysipelatosa existere (E.)

2*do*, Inflammationem in primo stadio morbi non manifestam esse; ideoque sequelam non causam morbi existere (F.)

3*tio*, Alios modos curationi aequales inventos esse.

4*to*, A contagiosa et putrida causa provenientem, stipatur, et excipitur maxima debilitate (G.)

5*to*, Venaesectionem debile esse refugium contra inflammationem membranarum planarum non parenchymati instratarum (H.)

His objectis tantummodo more sequenti haud minus brevi et categorico fortasse respondendum est; scilicet,

1*mo*, In catarrho, inflammationem erysipelatosam esse nullum validum contra sanguinis missionem argumentum habetur.

2*do*, Jamdudum ostensum est ut inflammatio jure dicatur extitisse tam mature quam morbus ipse: si hoc ita sit, *sequela* non esse potest, atque plus quam probabile *causa* morbi est.

3tio, Etiamsi minime negandum sit, morbum nonnunquam sine venaesectionis usu sanatum esse, attamen experientia recentior demonstrat curationes ejusmodi pauciores fuisse, incertiores, protractae, recidivae, excipi proniores, quam quae sanguinis detractione effectae sunt.

4to, Debilitas inflammationem viscerum cavorum abdominalium comitari semper videtur, cujus fortasse nota universa est, cum haec tam patentes et generales consensus amplectantur.

5to, Quod ultimo objectum est parum perspicuum videtur; quantum tamen intelligi potest, tractatio in enteritide feliciter usurpata responsum satis est.

Ex diverso, historia dysenteriae medica nequaquam factis caret, a quibus venaesectionis utilitas vehementer inferatur: 1*mo*, Dysenteria evanescit quum rheumatismus supervenit, quod saepe accidit, vel ophthalmia, ut in Aegypto (1) adventante. Cui quidem actioni vel efficaciae haec facta jure referri possent, si non sanguinis determinationi ab intestinis ad alia diversa

organa? *2do*, Maximum doloris signorumque generalium levamen est, cum profluvia copiosa sanguinis floridi per anum descendant, sed praesertim a fortuitis vel criticis sanguinis profluviis. Hujus rei illustrationem praeclaram vidi in militibus tribus membrorum amputationem apud Burgos passis: dum adveherentur ad distantiam aliquam post praesidia, frigori expositi, dysenteria, sub forma acuta, correpti sunt: acris haemorrhagia secondaria ab singulis membris truncatis supervenit, et momento, quasi fascino quodam, signa dysenterica evanuerunt. *3tio*, Venaesectio sine causa repetita fuit, et manifeste perperam adhibita, nullis tamen malis, subinde etiam bonis effectibus. *4to*, Depressio saepe et aspectu et pulsu adeo notabilis, cedere inventa est et evanescere post magnam venaesectionem, debilitate intestinorum inflammationem indicante, et apparente potius quam vera. *5to*, Indicia latae inflammationis et fabricae perturbationis semper observata sunt post dissectionem eorum qui venaesectione non tractati sunt.

Argumentis talibus, a fontibus minime fallacibus deductis, nunc adjicere necessarium sit,

Hoffmannum, Sydenhamum, Stoll, Pringelium, Baker, Moseley, aliosque perplures, venaesectionem in dysenteria liberaliter adhibuisse, atque vires ejus in morbum testantur: neque inutile sit notasse, quod, ubicunque dubitationem vel aversationem ejus usui demonstrant, haec, aut a praejudiciis supra comprehensis exoriuntur, aut ad illam speciem typho conjunctam revera pertinet. Quum autem opinionem unanimem praefectorum nuper in Peninsula medicorum (qui morbum nimis crebro contemplati erant) habemus concurrentem, venaesectionem egregie tutam, citam et certam esse, non possum non hunc usum pro certe et indubitate stabilito accipere.

Quantumcunque tamen haec medicina defensa fuit, persuasissimum habeo eo multum abusum esse nonnullos; atque necessitatem iterandi in plerisque exemplis provenire, aut a sanguine protinus sic misso, ut non idoneam corpori toti impressionem impertiret: aut ab usu praematuro purgantium, aut diaetae nutrientis per curationis subsequentis progressum. Quod haec vera sint, ex medicina ipsa nuper edita a

strenuissimo (J.) quodam ex venaesectionis fautoribus, praeclare illustratur. Sanguinem ibi tribus auroris insequentibus fere missum reperimus, atque, incongruentia et semet pugnantia remedia, veluti purgatio, sudatio inter stragula, sago, tapiocha, gelatina crassa, &c., celeriter subsequi in viginti quatuor horis inter utramque venaesectionem.

Audax videatur tam libere commentari super medicum tam occupatum simul et felicem: pauci tamen dubitare possunt, quin, si venaesectio imprimis instituta fuisset, qualiter corpus universum distincte affecisset; si auxilia minus irritantia quam sudatio inter tegetes usurpata fuissent ad superficiem relaxandam, et victus nutriens, saltem inter primos impetus dies, prohibitus, necessitas, probabile est, venaescctionis repetendae minus saepe extitisset: quousque saltem propriae experientiae aut aliorum observatio confirmare possunt, plenam hujus auctoritatem sentio. Sin autem dejectiones sanguineae persistent, et dolor ex abdomine presso remaneat, non mitigatus, tunc certe nulla hesitatio existere potest de utilitate sanguinis ultra

mittendi. In exemplis chronicis, si vires aegri sinerent, venaesectio mediocriter adhibita pervicaciam eorum vincere et aliorum auxiliorum operationem promovere invenitur. Sed cum vires revera subactae videntur, morbus diuturnus, atque ulcerationis jam factae probabilitas existit, nullum dubium est, quin rebus sic se habentibus, sanguinem mittere et imprudens esset et periculosum. In exemplo priore 18 vel 20 unciae ab vulnere patulo detrahentur, praesertim si morbum in stadio primario esse videamur. Effectus generales sunt, excitationem febrilem imminuere, contractionem tonicam resolvere, dolorem partium removere, atque corpus ad operationem diaphoreticorum, purgantium, &c., praeparare.

Sanguinis missio specialis generali tantum famulatur. Quae hirudinibus fit minus efficax est, quam cucurbitula, quam multum levaminis afferre, et curationi magnopere auxiliari vidi: ideoque cucurbitas duas, secundae magnitudinis, ad utrumque abdominis latus, et quam proxime tractum coli adhibere consuevi. Lumborum convexitas cucurbitas majoris capacitatis com-

mode admoveri impedit, sed quatuor minores omni usu respondere invenientur.

Emetica, tamdiu usurpata, tamque impense laudata, mihi videntur omnem celebritatem suam traxisse a determinatione humorum cutem versus, et alvi purgationem, quam generaliter efficiunt. Cum autem hi effectus plus quam aequiponderantur, miseriis et dolore quem subinde, nec raro, in hoc morbo inducunt; solummodo forsan admitti possunt in iis exemplis febre remittente, intermittente vel continua, conjunctis; vel ubi ex usu acrium aut putridorum ciborum, aut incauta inspiratione effluviorum condensorum, indicia impetum dysenteriae minari videntur.

Purgantia, removendo ingentem et perpetuum irritationis fontem recta de morbi sede, partem necessariam indicationis constituere oportebit. Cum tamen consideratur eadem non agere nisi stimulando canalem alimentarium, concedendum erit, quod ante inflammationem et constrictionem hujus amotam, illorum exhitio imprudens erit; neque aliter tendet quam augere irritationem, quam amovere propositum

fuit. Si tamen sanguinis effectus generalis et specialis detractionis expectamus, atque vesicantium operationem, necnon remediorum summam cutem relaxare praeceptorum, atque *tum demum* ad purgantia confugimus, rarissime aut munus detractant, aut effectus felicissimos non inducunt. Hoc modo quoque lenia purgantia, ut senna, manna et similia praestari debent, et plerumque huic usui idonea sunt, habitu universi corporis jam per remedia antecedentia adeo propitio effecto: sed submurias hydrargyri et sulphas magnesiae in modis mediocribus, prae omnibus fortasse aliis ferenda sunt: mecum nunquam non profuerunt.

Enemata. Libra plus minus aquae tam calidae quam aegri sensus permittant, per inferiores partes injecta, insigni solatio erit. Partibus ipsis dolentibus proxime admovetur, ideoque non dolorem tantum levabit, intestinorum cutisque relaxationem promovet, sed quoque contenta recti durissima comminuit et evacuat. Actio demum et indicatio ejus tam simplex cum naturalis est, ideoque nunquam adhibere destiti post venaesectionem, et inter diaphoretica. Ir-

ritatio et exulceratio circa rectum origo fere multae molestiae est, saepe quidem vehemens fit impedimentum enemati exhibendo. Quod tollere, unguentum adipis suillae vel ung. spermatis cetae cum pauxillis guttis tincturae opii, extremo recto illinendo, spem nostram raro fefellit.

Sudorifica. Consensus inter cava corporis et cutem summam subsistens, modus quo dysenteria plerumque produci creditur; sed praesertim arida illa conditio cutis abdominis, commoda de superficie relaxata speranda manifeste indicant. Ad hoc, remedia evidenter indicantur post sanguinis missionem, quae corpus in eorum operationem praeparat. Vinum antimonii tartratis, cum opii tinctura, nonnullis seliguntur; sed conjunctiones opii cum ipecacuanha vel submuriate hydrargyri meliores videntur. Potus calidi diluentes ex aqua hordei et similibus dari debent, ut actionem eorum adjuvent et expediant. At si pulvis ipecacuanhae compositus usurpetur, cura adhibenda est, ut potus non nimis mature exhibeantur, ne vomitionem excitet. Igitur calomelas et opium fortasse, prioris tria

grana, posterioris unum mista, crimini minus patent. Repetenda haec donec effectus producatur.

Balneum calidum semper reperietur certum allevamentum attulisse; atque optimos effectus induci cum in tempore dysenteriae *longinquo* exhibitum, sed in *acuto* non tantum dolorem removere nequit, sed saepe manifeste hunc auget. Neque hoc admirabile videri potest, cum consideratur quod excitatio generalis haud mediocris cutis relaxationem antecedere oportebit.

Fomenta. Calor sub hac forma agere vel recta vel oblique cogatur in ipsam morbi sedem, atque incommodis balnei calidi expers. Attamen fomenta, quum celeriter refrigescant, renovationem adeo perpetuam requirunt, ut evaporatio inde a superficie facta suis propriis effectibus bonis contraveniat: modo tamen sequenti adhibita, id evitatur: Vesiculae repletae aqua tam calida quam commode aeger ferat, atque collis firmiter obstrictis, ad usum servantur. Ex his duae, una ad utrumque abdominis latus, apponuntur. Circumvolvunt, atque semet accommodant figurae ejus, atque commutari possunt

antequam ullus frigoris sensus percipiatur. Minor vesica, eodem modo praeparata, inter femora tenesmum haud raro multum allevat. Simplex ut hic modus appareat fomenta admovendi, nimis enixe commendare nequeo.

Opium, nisi cum ipecacuanha, calomelane, antimonio et similibus conjunctum, nullo dysenteriae (quod exasperat) tempore admittendum est.

Exulceratoria, praeter potentissimam in inflammatione profunda removenda actionem, quum abdomini quoque admota, diu purgantium effectum promovere observata sunt: quae tamen maxime usurpantur, atque ex cantharide vesicatoria componuntur, in dysenteria valde ambigua videntur. Cucurbitulam et fotus manifeste impediunt, et, ad effectum propositum peragendum, adeo magna fieri debent, qualia raro, ut saepe notavi, non stranguriam inducunt, ideoque multum aegrotantis miseriis adjiciunt. Ut effectus epispasticorum commodi sine incommodis obtineantur, unguentum ex una parte tartratis antimonii cum tribus partibus unguenti simplicis in abdomen, post cucur-

bitam cruentam, infricatur. Deinde vesicae applicari possunt, ad abdomen fovendum. Hoc unguentum rarissime messem egregiam pustularum non provocat, sine quovis alio incommodo. Experientia doctus, nullus dubito quin hoc epispastico communi supersedere in dysenteria proposuerim.

Hydrargyrum, auxilium adeo potens in quibusdam morbis inflammatoriis, ut cynanche tracheali et aliis, venaesectioni supersedere propositum sit (J), efficaciam in dysenteria vix minorem habet. Observator (B) utique accuratus vires ejus diaphoresi quam excitat, attribuit: sed directa ejus operatio, meminisse oportet, in glandes et superficies mucosas exercetur; humores ad illas ciens; secretiones harum exaugens. Actio utraque vehementer opitulari debebit inflammationi, tam tracheae, tam intestinorum opprimendae. Cum autem hydrargyrum in priore exemplo excitationem adeo generalem inducit, cumque omnes ejus effectus certius et facilius sanguinis missione praebentur, usus illius in forma acuta dubius nonnihil videtur: quidam tamen convalescentibus sic

praebent, ut os leviter afficiatur et refectio expediatur. Exempla hoc requirens rarissima esse judico. At sub statu longo, cum reputamus actionem languidam intestinorum et conditionem eorum, destructa fabrica et a lympha effusa et ulceratione condensata, nequit non manifestum esse, hydrargyrum, quod praeter vires jam dictas, imperium insigne in vasa absorbentia exercet, singulari in modo hic indicari. Hinc est, ut tum experientia, tum ratiocinatio conjunctim magna et indubia jura hujus in fiduciam attentionemque nostram vindicent. Itaque, cum indicia manifeste cedere apparent, magisque mobilia fieri, simulatque gingivae leviter tenerae adparent, plenum effectum quamprimum et quam minima excitatione inducere conandum est. Ob hunc usum frictione in abdomen ex unguento hydrargyri praecipue fidendum est, exhibitione pilularum interna auxiliante. Quamprimum salivae profluvium adparet, haec medicamenta suspendi oportet.

Fascia lanea. Ad multa commoda, in affectibus abdominis de hoc remedio derivanda, medicorum attentionem primus direxit Doctor

WHYTE; postea Doctor DEWAR rem ulterius egit, qui tamen modo valde multiformi operari intellexit. Mihi quidem agere videtur solummodo calorem corporis liberum non emittendo (a superficie), atque sic calidam atmospheriam circa abdomen conservando. Quum primum fomenta suspenduntur, fascia lanea, lata, abdomini circumdari debet, atque superficies exulcerata, si non sanata, per linteum et unguentum simplex defenditur. Ut recidiva praecaveatur, cui dysenteria valde proclivis est, fascia per menses aliquot gerenda est, nullaque cautio de vestitu calido negligenda.

Diaeta. Signorum aggravationem, curationis pertinacitatem, et recidivam frequentem, imperito diaetae regimini jure imputare possumus. Prima et acuta morbi parte, mere sufficere ad vitam alendam, atque ex levissimis minimeque stimulantibus materiis, veluti aqua hordeacea, sago, tapioca et similibus, atque haec etiam in parvis quantitatibus. Dum aeger convalescit etiam cibus ex carnibus parce et paulatim permittendus est. In forma chronica, cibo magis

liberali tutius indulgetur, proposito primario ob oculos usque conservato.

Roborantia. Quum morbus prorsus cessisse appareat, alvi profluvium fit naturale, atque debilitas sola existere videtur, tum usus remediorum roborantium manifestum erit; sed talia solummodo applicari possunt, qualia lenia et tuta esse novimus: atque ex his infusum quassiae excelsae fortasse optimum est. Ad hoc caput quoque referatur aëris mutatio, levis exercitatio et similia.

Ut sententias necessario sparsas ex consideratione uniuscujusque argumenti tam fusa, nunc breviter recensebo, in *ordine* quo adhibentur, rationes illas curandi quae fiducia dignissima apparent, in acuta et chronica forma hujus morbi tractanda.

In dysenteria acuta, post generalem et specialem sanguinis missionem, medicamentum sudatorium exhiberi debet. Abdomen unguento vesicante fricandum est, et more descripto fovendum. Quo facto, enema aquae calidae in-

dendum. Paucas post horas, cum superficies laxata, atque exulceratorium operatum fuerit, purgans aliquod lene propinari debet, atque per curationem futuram sic continuari ut alvum leniter mollem conservet. Fomentis nunc omissis, fascia lanea admovenda, atque tonica et diaetetica methodus supra dicta accurate observanda est.

In dysenteria longa, si sanguinis missio ab aegri debilitate vetetur, hydrargyrum, balneum calidum, fomenta, sudorifica, vesicatoria, purgantia, fascia lanea, remedia tonica, &c. modum et ordinem curationis constituent.

DE DYSENTERIAE FEBRE COMPLICATAE CURA.

Febris intermittens aliquando praecedit, nec minus saepe dysenteriae supervenit. In exemplo priore, modo alvus assidue laxa servata sit liberali purgantium ex hydrargyro usu. Etiam cinchona adhibeatur. Abdomen foveri debet,

atque ante omnia, certissimum vidi commodum ab hydrargyro cuti infricato, sic ut os afficiatur.

Exempla tamen quae viderim, ubi dysenteria febrem intermittentem induxisset, me plurimis in modis persuadent venaesectionem solam hic utrumque morbum simul tollere posse, atque haec mihi exempla videntur esse, quibus Doctor Somers sanguinem tam feliciter mittebat "in the face of the intermittent." Hic quoque manifestum erit, cinchonam usurpari debere cautissime, atque magis victui committendum esse, hydrargyro, iisque modis qui haud ita facile describuntur, sed medico edocto et prudenti semet semper offerunt; iis quoque adjectis, quae intermittentes subigere solent. Concludere hoc solo animus est, me quondam effectus mire optabiles vidisse a liquore arsenicali, consilio roborandi dato, ubi cinchona non tuto adhiberi potuit.

Febris remittens, bene cessit, vix aut ne vix quidem ullam desiderat mutationem, nisi fortasse frictio ex hydrargyro ut saliva provocetur, necessaria fiat.

Typhus. Hic nonnihil mihi gratulor me sine

dubio *perplurima exempla vidisse, quae manifeste probarent affusionem et lavationem frigidam, purgationem, atque solitam typhi curationem*, perinde aequaliter efficaces esse atque idoneae conjunctioni ejus cum dysenteria. Istiusmodi conjunctiones non tantum maxime formidabiles et intractabiles omnium morborum existunt, et adeo ambigue auctoribus tractantur, quod haec pars dissertationis nostrae necessario manca admodum et intuta restet, quum non nisi propria observatione aut ex paucissimis monitis, libris undique sparsis, loqui potuerim.

Postremo. Notiones quas posuimus criminosas et futiles esse appareat, et curatio hypothesi nimis plane accommodari videatur. Talibus respondendum, puto hanc esse curationem, quam singulari in modo, dysenteriae proficere in Lusitania, Hispania, Gallia, Belgio reper. Quod ad libertatem, qua optimorum auctorum sententias et usum consideravimus; ob hanc, nullam veniam postulabo; de hoc enim jus medicorum legitimum nec unquam praescribendum erit, "Tros Tyriusve nobis nullo discrimine agetur."

FINIS.

APPENDIX.

(A) Morgagni de Causis et Sedibus Morborum, Epist. xxxi.

(B) Observations on the Simple Dysentery and its Combinations, by William Harty, M. B.

(C) Rees's Cyclopaedia, article "Dysentery."

(D) Medical Suggestions for the treatment of Dysentery, by E. S. Somers, M. D. &c. 1816.

(E) Dr John Hunter on Diseases of the Army in Jamaica, 1788.

(F) P. Wilson Philip, M. D. Treatise on Febrile Diseases, 1813.

J. Rollo, M. D. on Acute Dysentery, 8vo.

(G) Sir J. Pringle, Observations on the Diseases of the Army, 8vo. Lond. last edition.

(H) F. J. V. Broussais, Histoire des Phlegmasies Chroniques, à Paris 1816.

(I) Dewar (Henry) Observations on Diarrhoea and Dysentery. Lond. 1803.

(J) Dr James Hamilton on the Management of Children in early Infancy.